Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26058
Copyright: Admont, Benediktinerstift

De quatuor conuenientibus. scilicet superbia. ignorantia. mortalitate. concupiscentia.

illo uniuersi oriuntur. qui ab illo per carnis propagationem traducuntur. quod nisi et ignorantia mentis. et concupiscentia carnis. Verum inuenimus omnis peccati superbia. superbia heret ignorantie. ut causa suo affectui. Similiter concupiscentie coheret mortalitas. ut causa suo effectui. Denique et primus homo postquam mortalis esse cepit. iam propter concupiscentiam fecit sibi perizoma de foliis fici. propter pudorem illicientis se concupiscentie. et ex mortalitatis causa effecte. Sunt ergo IIII. hec. superbia. ignorantia. mortalitas. concupiscentia. Superbia mentis. culpa tantum. mortalitas carnis. pena tantum. ignorantia culpa et pena mentis. concupiscentia culpa. et pena in carne. Habes si bene aduertis duas malicie arbores. perplexas sibi ex duplici illo ligno scientie boni et mali. in hunc mundum transpositas. superbia radix est. ignorantia arbor. persistere in ignorantia fructus. Item mortalitas radix. concupiscentia arbor. concupiscere fructus. Ista iam nunc redda ad oppositionem tuam qua dicis. quod non idem sit originale peccatum. et concupiscere malum. quia eo tempore manet originale peccatum. cum non potest homo concupiscere malum. Considera quod tunc non ideo sine uicio concupiscentie esse estimandus est. quia non concupiscit. quam radicitus est inuentum concupiscentie in ipso per quod cum primum potuit concupiscere concupiscit.

SVNT adhuc non nulla inquirenda. Unum ut MARTHA. libens. et sine tedio ad ea que mouent me expedire respondeas. infero narrationem medius ipsis questionibus. ut prestationem meam te in conpensare et iustum sit et necessarium. Erat mulier sterilis. filium non habens. et habere non ualens. et se non habere egre ferens. Itaque erat magno doloris oppressa pondere. credidit ergo quod per eam cuius glorioso partu omnis saluatur fecunditas sibi posset et auferri infecunditas. quod per eam sua posset contra leges nature fecundari sterilitas. cuius fuisset contra eandem naturam uirgo fecundata uirginitas. Primum inter se cuncta ecclesie liminibus sine intermissione orationem dedit. et a summe potentie et clementie domine sperando et infatigabiliter petendo subsidio nulla dilatione. nulla desperatione remoui potuit. Quis credat mundantiam lacrimarum. instantiam precum.